

FLORI EPISTOLA AD IMPERATRICEM JUDITH.

Incipit (a) epistola Julii Flori ad Judith imperatricem uxorem (sic; leg. matrem) Karoli Calvi de sequentibus libris.

Domina Augusta et felicissima Judith, dum in humanis quo alius ad crescas non inveniatur rebus, quia, si de viro agitur, quis nobilior imperator aut sapientior in divinis seculariumve disciplinis Ludovico Cesare invicto? nec mirum talem protulisse excellentissimo Augusto secula sobolem Carolo; si autem de venustate corporis, ut absque adulationis fusco proferam quod verum est, pulchritudine superas omnes quas visus vel auditus nostræ parvitas comperit reginas; sin autem de prole, nonne mundi gloria et hominum delectatio Carolus? qui elegantia corporis ac moribus optimis seu agili prudentiæ studio immaturam vincendo propriam superat etatem, ut videatur avus ejus non obiisse, sed potius, detrusa caligine somni, novum illustrare orbem; siquidem in nepote inmortale ingenium, una cum nomine decor et virtus splendeant; quamobrem dum in temporalibus nihil desit rebus ut augmento careas, studio sapiencie dilataris ut excellentior retro seculis imperatricibus reperiaris. Igitur indita a Deo vobis sapientia et naturalis ingenii scientia attonitum me reddidit inter ceteros auditores. Quam in divinis et liberalibus studiis ut vestræ eruditionis novi facundiam, obstupui, mecumque deliberans ut aliquid munusculum meo labore congestum vestræ offerrem almitatis flagrantis, igitur ab Octaviano Augusto et Domini nativitate salvatoris nostri sæculum adgressum scribendo opus peregi usque ad regna Franco-

rum et Langobardorum, deficientibus Romanorum imperatoribus sen iudicibus ab Italia, et Gallis Gothorumque regibus qui successerant ab eis etiam depulsis. Quod videlicet opus quinque distinxit in libris. His enim, velut in speculo, per vestram sanctissimæ devotionis ammonicionem atque jussionem, Carolus gloriosissimus vestre filius excellencie inspicere quid agendum vel quid vitandum sit poterit. Decet enim, dominam te venerabilem unicum erudire filium nostræ jocunditatis et novi seculi regem; memor Bethsabee quæ itidem priscorum erudivit sapientissimum seculorum regem, ut idem de se ait: « Nam et ego filius fui patris mei tenellus et unigenitus coram matre mea. Et docebat me atque dicebat: suscipiat verba mea cor tuum, custodi precepta mea et vives. Posside sapientiam, posside prudentiam, ne obliviscaris neque declines a verbis oris mei. Ne dimittas eam et custodiet te, dilige eam, etc. » Bis autem, prout de Domini confidimus pietate, sacris jussionibus vestris parebit, et inter ceteras materne dilectionis admoniciones hos libellos sue non dedignabitur contradere memorie, quibus imperatorum gestis sanctorumque triumphis, atque doctorum magnificencium doctrinis illustratus caucius quid agendum sit sive subtilius inveniet quid sit vitandum. Igitur hos codicillos vestræ dilectionis amor me, Domina semper augusta, scribere compulit, quid vestræ almitatis et immortalis sapientiæ iudicium expectant. Quod si iudicando consequantur laudem, vestræ reputabitur eternaliter memoriæ, quoniam sacratissimum nomen vestrum Judith *iudicans* sive *laudans* interpretatur.

(a) Hanc epistolam ex codice ms. Abrincensis bibliothecæ, olim monasterii S. Michaelis in *periculo maris*, edidit D. Ravaisson in appendice libri cui titulus: *Rapport au ministre sur les bibliothèques de*

l'Ouest. De quibus hic agitur historiarius libri, quorum fragmenta dedit Labbeus Bibliothecæ Manuscriptorum tomo III pag 190, an Flori nostri sint dubitandi locus. Edr.

ANNO DOMINI DCCCLXII.

B. SERVATUS LUPUS

PRESBYTER ET FERRARIENSIS ABBAS.

NOTITIA HISTORICA IN SERVATUM LUPUM

(Apud Baluz. in notis ad epistolas Lupi.)

Sancta fuit apud Ferrariense memoria Lupi. Sane ex illius operibus apparet virum fuisse moris antiqui. Natus est autem, quantum conjectura assequi datur, in provincia Lugdunensi quarta, ex clara haud dubis familia, sub imperio Ludovici Pii. A puero deditus fuit studiis litterarum. Factus manachus Benedictinus in monasterio Ferrariensi, ab Aldrico abbate suo, qui Senoniensis postea antistes fuit, in Germaniam, cum diaconus iam esset, studiorum causa missus est ad Rabanum abbatem Fuldensem, celeberrimum per eos tempestates sacrarum Scripturarum interpretem. Illic, facilitate morum, sibi conciliavit amicitiam plurimorum, magnamque hinc famam eruditionis ac pietatis reportavit in Galliam. Anno 838, x Kal. Octobris, haud multo post reditum ex Germania sum, Ludovico Pio imperatori presentatus a Judith Augusta, et turba aulicorum immixtus, in spem dignitatis proximam adductus est; et paulo post ordinatus est presbyter. Tandem quia Odo abbas Ferrariensis (a) atrocium facinorum manifestus, Karoli Calvi Francorum regis animum in

(a) Ferrariensis. Vetus et nobile monasterium dioceseseos Senonensis, eo etiam nobilior, quod Lupum quondam habuerit abbatem. In Vita Ludovici Pii scriptum est, ipsum reparasse monasterium

sanctæ Mariæ et sancti Petri Ferrariis, quod antiquitus Bethlehem vocabitur: in cuius curia pater ejus Pipinus occidit leonem; et ipsemet a Stephano papa Romano in regem honorifice consecratus est

se concitaverat, ejus auctoritate amotus est a regimine illius monasterii, quod commissum est Lupo. Is ergo cum præcepto Caroli illuc accedens, a monachis electus est X Kal. Decembr. anni 842. Pridie dein Kalendas Carolus ei donum abbatiæ confirmavit. Nondum tamen Odo paruerat jussis principis. Itaque Lupus, cui pellendi Odonis delegata cura a Carolo, illum hinc abscedere fortiter compulit. Præbuit istud materiam novis sermonibus, ac si Lupus Odoni comparasset insidias, per fraudemque potius ac vim quam canonice factus esset abbas Ferrariensis. Sed ipse eam calumniam expurgavit in epistola scripta ad Jonam episcopum Aurelianensem. Anno 844 functus est legatione pro Carolo in Burgundia, annoque eodem exeunte habita fuit synodus episcoporum apud Vernia palatium regium, cui interfuit Lupus noster. Tantaque tum erat ejus fama, ut, licet hio adesset Hincmarus, Lupus tamen ab universa synodo rogatus sit scribere canones in ea decretos. Anno 847 interfuit conventui apud Marsuam, secus Trajectum: quo Lotharius imperator, Ludovicus rex Germaniæ, et Carolus Calvus rex Francorum, convenerant, pacis causa. Per eas tempestates, anno nimirum 849, ut ego arbitror, a Carolo missus est ad Leonem IV papam; et anno 845 interfuit concilio Suessionensi, in cujus actione ii legit volumen gestorum depositionis Ebbonis Rhemorum archiepiscopi. Pervenit autem usque ad tempora Nicolai I papæ; obiitque post annum 861. Familiares habuit præstantissimos quosque sui sæculi viros, Hincmarum Rhemensem, Rabanum Moguntinum, Wenilonem Senonensem, Hartboldum Antissiodorensis, Pardulum Laudunensem, Prudentium Tricassinum, Jonam Aurelianensem, Odonem Bellovacensem, Æneam Parisiensem, Eginhardum abbatem Seligenstadiensem, Hilduinum, Ludovicum, et Hugonem S. Dionysii, Ratbertum Corbeisensem, Ratramnum monachum Corbeisensem, Gotteschalcum monachum Orbacensem, et alios plurimos. Atque hæc omnia, et multo plura, colligi abunde possunt ex ipsius Lupi epistolis, aliisque illius ævi monumentis.

in eadem ecclesia. » Illic ab Ansegiso Senonensi archiepiscopo, paulo post Lupi ætatem, coronatisunt

Ludovicus et Carlomanus, filii Ludovici Balbi regis.

NOTITIA BIBLIOGRAPHICA.

SERVATUS LUPUS presbyter, et ab anno 838 (a) abbas monasterii sancti Petri quod Belhehem sive Ferrarias dicitur in diocesi Galliæ Senonensi ordinis S. Benedicti, Rabanum Maurum præceptorem suum vocat epist. 40, qui ejus adhuc diaconi rogatu Collectarium in Epistolas Pauli fecit. Abbas Lupus anno 853 concilio Suessionensi interfuit, et superstes adhuc fuit post anno 851, ut a Caveo bene notatum. Scripsit anno 849 (b) *librum et collectaneum* testimoniorum (c) *de tribus questionibus*; de libero arbitrio, de prædestinatione bonorum et malorum, et de sanguine Christi effuso pro omnibus, ut omnes vult salvos *Deus*, quamquam culpa propria non omnes salvantur. Edidit, post mancam in Belgio anno 1648 Donati Candidi editionem, Sirmondus anno 150, unde recusa in Sirmondi operibus tom. II, p. 1227, et Gilbertus Manguinus Paris. 1650 4^o in parte altera tomi primi Scriptorum sæculi IX de Prædestinatione et Gratia, sub titulo commentitio *Lupi Servati, presbyteri Moguntinensis*. Consulendus etiam Lud. Cellotius in Historia Gotteschalci, Paris. 1655 fol.

Capitula XII concilii ii in Verno palatio anno 844 habiti, quæ stylo suo comprehensa ad Hincmarum se direxisse scribit Lupus epist. 4, edita in tomis Conciliorum et in Sirmondi Conciliis Galliæ, tom. III, pag. 17, at apud Carolum Le Cointe, tom. VIII Annalium Francorum, pag. 742.

Liber epistolarum CXXX (d) ex Papyrii Massoni editione Paris. 1588 8^o et in Bibl. Patrum edit. Colon. tom. IX, sed ad mss. codicem emendatus, in Andree du Chesne tom. II Scriptorum de rebus Francorum, pag. 726.

Vita S. Maximini episcopi Trevirensis, anno 839 scripta ad Waldonem: edita s Surio 29 Mail, sed omissa ab Henschenio tom. VII Mail, quoniam antiquiora Acta ait se nactum anonymi Sanmaximiensis ex quo Lupus sua expresserit, quia a scriptore miraculorum Maximini, *Lupus episcopus* appellatur. Ex hac Vita quædam de Carolo Martello affert Ba-

ronius ad annum 741, n. 15; unde factum ut *Caroli Martelli gesta* a Lupo tradita quidam scripserint. De Maximo illo adeundus Tillemontius tom. VII Memoriarum, p. 247, 694 seq.

Vita S. Wigberti, abbatis Fritzlarie in Hassia; ad Bunum, sive Brunum, (e) abbatem Herveldensem sive Hirsfeldensem, edito a Joannes Busæo S. J, ad calcem epistolarum Hincmari Rhemensis, et Constitutionum Caroli Magni, Moguntia 1602 4^o, p. 339. Scripta anno 836.

Homiliae duæ in solemnitates S. Wigberti, et *hymni totidem* vulgati sub Lupi nomine ab eodem Busæo in paralipomensis Opusculorum Petri Blæensis, Joan. Trithemii aliorumque, Mogunt. 1604 8^o Hæc Lupi scripta recensuit atque eruditè notis illustravit Stephanus Baluzius Paris. 1664 8^o, quæ editio recusa in Bibl. Patrum Lugd. 1672, tom. XV, statim in limine. Sed prodiit deinde iterum Lupus (licet titulus Antuerpiam præferat) 1710 8^o, ex secunda laudati Baluzii recensione. Vide Acta Erudit. 1715. p. 205. Vitam S. Maximini Baluzius scriptori huic tribuit: reliqui tamen omnes Lupo alteri Catalaunensi episcopo, qui cadente sæculo IX florebat, ascribendam esse censent. Vide auctores Historiæ litterariæ Gallicæ, tom. V, pag. 267. Ita pariter Homilias geminas in solemnitate S. Wigberti alterius esse criptoris ex styli diversitate viri illi docti dijudicant: opinanturque insuper unicam esse homiliam in geminas dissectam; altera enim ex illis incipit: *Restat*; quod Sermonis continuationem non ambigue demonstrat.

Sermonem Lupi (sed certe junioris, *Wulfstani* forsitan (f) de quo infra, archiep. Eboracensis et episcopi Vigorniensis, *super incursu Dacorum* sive Danorum anno 1094, edidit Anglo-Saxonice et Latine Georg. Hickeysius in diss. epistolari tom. II Thesauri septentrionalis, p. 99, 106. Axon., 1703 fol., et alterum in *festum S. Jodoci*, mss. in Bibliothecis Angliæ exstare Caveus adnotavit.

(d) In his 128 et 129 sunt illæ duæ epistolæ ad Carolum Calvum et Hincmarum Rhemensem, quas cum libro de tribus Quæstionibus Sirmondus vulgaverat.

(e) Nide Vossium, II, 35, pag. 317.

(f) Vide Humfredi Wanleji Catalogum librorum Veterum septentrionalium, pag. 140 seq., in tomæ secundo Thesauri Hickeysiani.

(a) Baronius ad an. 838, num. 6.

(b) Sigebertus, cap. 94 de S. E.

(c) Cælestini papæ, Augustini plura, tum Hieronymi, Philippi in Jobum, Gregorii papæ, Fulgentii Ruspensis, Joannis diaconi Rom., Isidori episc., Bedæ, et Joannis CPolitani sive Chrysostomi, reiectis iis quæ in contrariam sententiam Faustus Regensis scripsit.